QUAEDAM DE SUPERFOETATIONE DISSERTATIO INAUGURALIS QUAM AD...

Giovanni Stringari

QUAEDAM

DE SUPERFOETATIONE

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

Ad medicinae Lauream

Consequendam

IN I. R. ARCHIGYMNASIO PATAVINO

PROPONIT

JOANNES STRINGARI

FOROJULENSIS

PATAVII

TYPIS CARTALLIER

M. DCCC. XXX. V

PARENTIBUS AMATISSIMIS

FILIUS GRATISSIMUS

126

. . . tali sono gli effetti delle umane passioni, che sacrificano quasi sempre l'onesto, e tali sono eziandio i nostri costumi da dover cercare nel male istesso un rimedio ad un male peggiore (Barzellotti).

Studiorum diuturnorum metam hac gloriosa die attingo: quam si non absque aliqua honoris specie conspicio, id non tam mediocri ingenio, vigiliis ac laboribus meis, quam incredibili vestrae humanitati, qua me per tot annorum decursum amplexi estis, Professores Doctissimi, tribuendum censeo. Equidem si vires tantum meas consuluissem, de re medica coram vobis verba facturus in scenam non prodirem: id tamen ita audeo, ut legum praescripto publice submisseque obtemperem, utque obsequium singulare quo vobis, Praeceptores Sapientissimi, devotus sum, denuo patefaciam, obsequium alta in mente repositum, ut sincero pectore pollicear, nunquam fore ut vel deficiat, vel minuatur.

Inter Physiologos et Medicinae legalis excultores agitatae diu fuerunt, vigentque adhuc quaestiones utrum signa vera extant quae graviditatem veram a falsa ostendere valeant, et utrum mulier jam gravida et foetum gerens iterum, novo accedente coitu, foecundari possit nec ne.

Et primum quoad graviditatem falsam attinet, nimis notum est haud ita raro Medicos falli,

sive in vera pro falsa, sive in falsa pro vera habenda. Utinam vera semper extarent signa; his enim freti, docti saltem, attentique Medici neutrum in errorem laberentur. Certum utique, et manibus, interdum oculis quoque, est obvium graviditatis verae signum, foetus in utero motus adeo peculiaris, qui non nisi a vivo foetus corpore edi possit. Quamquam vero primis non solum mensibus hoc signo caremus, sed et caeteris interdum, imo nonnunquam postremis sive ob foetus infirmitatem, sive aliis de causis tamen ista quaestio revera diligentibus investigationibus dignissima Auctores de ea re disserentes non in tam contraria divisit studia, quam in alia quaestione accurate perpendenda.

Superfoetationem fieri posse alii nequaquam autumarunt; alii et ratiocinio et observatione suffulti multum luminis huic quaestioni attulerunt, probaruntque superfoetationem posse contingere. Sunt et qui eam frequentissimam dicunt, et qui non nisi sub determinatis quibusdam circumstantiis admittunt.

Est haec sane res scrutinio dignissima, tum quia tanta litis dijudicatio ad physiologicas spectat subtilissimas disciplinas, tum quia quaestiones suppeditat medico-legales, quarum solutio in feminarum famam honestatemque necnon in earum ac infantium jura eminenter influit. « Quantun» que, ut ait Celeberrimus Barzellotti, il diritto Ro-

» mano non faccia alcuna distinzione fra i figli » nati in un parto, e perciò fra gemelli, trigemel- » li, quadrigemelli ec., per gli effetti civili delle » successioni, avendo i figli di uno stesso padre, » prima o poscia che nascano, egual diritto alla » sua eredità, pure per la successione ai majora- » scati o ad altre eredità legate, potrebbesi oggidì » dar luogo come in addietro a disgustose que- » stioni onde sapere a chi si competa fra i nati » in uno stesso parto il diritto di maggioranza. E » perchè tali quistioni possono spingersi fino alla » ricerca della concezione di questi esseri, onde » indagare nelle circostanze della nascita, nello » sviluppo del corpo e nel vigore del feto la non » simultanea concezione, e così far diritto al pri- » mo nato o al primo concepito, quindi sta bene » di porre in disamina se nei casi di gravidanza » o parto di più feti debba ammettersi la *super-* » *fetazione*, e qualora tale ammissione non ab- » bia luogo, dietro qual norma debbasi attribuire » ad alcuno di essi la maggioranza (1). » Hoc interim mihi ante conspectum vestrum (quod in more est) ad Medicam Lauream rite adsequendam disceptanti in animo est, Professores Amplissimi, ut quid de gravissima hac re sentiendum sit brevi sermone complectar. Quas medici omnium

(1) Barzellotti. Medicina legale secondo lo spirito delle leggi Civili e penali veglianti nei Governi d'Italia.

aetatum protulerunt de superfoetatione sententia modo ego non repetam, ne crambe recocta fastidium moveam nauseamque vestraque, quod magis interest, doctrina abutar atque patientia.

Pro unaquaque parte stant quidem Scriptores gravissimi et eruditione atque ingenio spectabiles. Inter eos primum, qui superfoetationem tamquam quae accidere nunquam possit, omnino negarunt et risu exceperunt, digni sunt qui referantur Hippocrates (1), Galenus (2), Avicenna (3), Berengarius a Carpi (4), Valverde (5), Curtius (6), Blasius (7).

(1) « Quae utero gerunt his os uteri comprimitur. » *Aphoris, lib. V., Aphoris* 51,

(2) « Ne specilli quidem mucronem admittere uteros antequam » mulier pariat; praeterea ne vel minimum quidem hiscere uti con» cepirint. » *Oper. omn. Clas. I. pag.* 302.

(3) « Et fit in dispositione conceptionis in summo constrictionis, » quam fortasse non ingreditur extremitas acus. » *Lib. III. Ten. XXX. Cap. I.*

(4) « Os matricis in aliis temporibus, maxime cum praegnans est » sic clauditur ut nec subtilis acus eam ingredi posset nisi violenter. » *Isagog. Anatom. pag.* 22.

» (5) Uteri os in praegnantibus ita occluditur, ut ne specillum » quidem admittat — et alio loco — Quod autem nonnulli praegnan» tem concipere posse ajunt ridiculum apud me est. » *Anatom. Corp. Human* 9. 195.

(6) « Os uteri clauditur quidem cum concepit animal ita exacte, » ut neque minimum vel intus foras relaxet, vel foris intro accipiat. » *Cap. XXXI. pag.* 253.

(7) » Nil tam rarum quam vera superfoetatio, quam cum claris» simo Palino aliisque neque unquam vidi, neque possibilem judico. » *Cap. VII. pag.* 102.

Admittunt vero superfoetationem eamque se non raro observasse asserunt Rulfius (1), Mercatus (2), Marcellus Donatus (3), Rodericus a Castro (4), Laurentius (5), Zacchias (6), Hallerus, aliique bene multi tum inter veteres, tum inter recentioris aevi medicos. Sunt autem qui superfoetationem non nisi sub certis raro praesentibus circumstantiis contingere posse credunt (7). Ita concedunt hoc phoenomenon in utero duplici, aut biloculari Gravel (8), Ludwig, Loder, Roose; et sub conceptione extra-uterina, ubi foetus mortuus in abdomine haeret, Roose et Wildberg. Metzger vero etiam in duplici utero superfoetationem negat, quia singulus uteri loculus perparvus esset, quam ut foetum excipere, et sub duplici vagina femina virum admittere ob nimiam partium angustiam non posset. Sed ridicula sane est haec ratio. Quid si conciperentur gemelli, an majus invenirent spatium in utero simplici, quam

(1) De Muliebrib. L. V. Cap. V.
(2) De Mulier. Affectib. L. III.
(3) De Med. Histor. Mir. p. 224.
(4) De Morb. Mulier lib. III. Cap, XIII.
(5) Histor. Anatomic. pag. 593.
(6) Q. M. L. Lib. I. Tom. III. Q. III. n. 12.
(7) »Superfoetari autem mulier potest, sed raro quoniam uterus »magna ex parte ad partum usque se comprimat.«

Aristotil. De Generat. Animal. l. 4. Cap. V. pag. 759. — E contra Musa Brosavolus in comentario in Hippocratis Aphorisma. (Lib. V., Aphoris. 38, pag. 817) sic loquitur de superfoetatione «Nos vi»dimus superfoetationem quandoque fuisse epidemicam affectionem.»
(8) Istit. di Med. Forens. Vol. I. Cap. IV.

si eadem cavitas tenui sepimento in duos loculos esset divisa? Curnam tenuissimum novi embryonis primordium non inveniret locum, ut gemini in perexigua pariter uteri virginei cavitate? Alteram demum rationem circa vaginam duplicem falsam esse, et feminas nihilominus coire et concipere posse experientia probatur.

Negantes superfoetationem, ut propriam fulciant sententiam, observationes allegant, quibus probare videntur os uteri sub graviditate nec apertum esse, nec posse aperiri absque summo foetus jam in utero contenti detrimento. Dicunt porro, quod etsi os uteri in gravidis apertum concedatur, illud tamen ut et tubarum ostia a secondinis occlusa adeo sunt, ut semen intrare in utero nullatenus possit. Non est cur tempus perdamus in hisce vel refutandis, vel examinandis, praesertim quum magni nominis viri in hoc summa doctrinae atque eruditionis facundia versati jam sint. Satis idcirco esse ducimus immortalis Halleri verba referre, qui acuratissimis anatomicis observationibus suffultus asseveranter affirmat os uteri in muliebribus etiam foecundatis nunquam perfecte occludi; ideoque mulierem superfoetari posse non solum a die sexto usque ad trigesimum, aut primis duobus mensibus, sed omni omnino tempore. Excellentissimus etiam Person Hallerianae sententiae libentissime assentitur scribitque: « Si mulieres aliquando mor-

» tuum foetum gestantes foecundae factae sunt
» sicut exemplis quamplurimis confirmare pos-
» sum, curnam superfoetationem possibilem esse
» non dicemus? Si femina, in cujus utero foetus
» jam mortuus et fracidus, et si diis placet, etiam
» lapideus continetur, concipere potest curnam
» utero perfecte sano concipere non poterit? »

Neque minus inter se discrepantes reperiuntur Scriptores quoties superfoetationis definitionem tradunt. Definit Foetius: « Quando concepto foe-
» tu, alter praepostere conceptus est: » et Garraens explicat quod sit foetus alter gravida jam muliere conceptus. Ita definit Sennertus: « Quan-
» do diversis congressibus plures foetus concipiun-
» tur; » et Celonius sic rem expedit. « Superfoe-
» tatio aliud non est nisi tardior evolutio atque
» augmentum cujusdam embryonis, qui pariter
» cum primo jam conceptus erat et variis de causis
» in sua naturali evolutione retardatus est: hinc
» partus secondarius potius dici potest quam super-
» foetatus; » et Teychemeyerus; « Superfoetatio
» est conceptio supra conceptionem facta; » et
» Tortosa; « se unà femmina con l'utero già pre-
» gno concepisce di bel nuovo, il secondo con-
» cepimento, come piacque nominarlo agli an-
» tichi chiamasi superfetazione, ed il feto che matu-
» ro e perfetto nasce molto tempo dopo il primo,
» partorito al termine ordinario, dicesi parto super-
» fetato ». Nos superfoetationem definimus quod

sit *conceptio supra conceptionem facta* qua nempe in femina jam gravida oritur ex novo, durante graviditate priori admisso coitu, ut adeo uterus foetus duos distinctae aetatis in se complectatur. Foetu enim possibile credimus, ut quemadmodum uno eodemque concubitu duo, ut plura ovula foecondari possunt, ita etiam foecundentur separatis congressibus, atque inter se tamen parrum distantibus; cum observatores diligentissimi demonstraverint os uteri nequaquam sub primis praesertim gestationis mensibus ita occludi, ut virili semini aditus denegetur.

Fluit inde discrimen, quod gemellum a superfoetato foetu distinguit. Gemelli enim eodem tempore eodemque coitu, superfoetati concubitu distincto et separatis temporibus absoluto concipiuntur. Differt etiam superfoetatio a superfoecundatione, quae in homine non dari jam docet inter alios Sohler, quaeque tum accidit, quando ex uno coitu concipitur foetus jamjam foecundatus, qui sibi similia praevio sine coitu gignere valet, nec non forsan et haec pariter abavo vel abavo foecundata excludit. Injuria igitur a Ratter superfoecundationi plane eadem cum foetu gravido significatio tribuitur. Quid enim sunt foetus gravidi nisi gemelli, quorum alter alterum ex integro in suam recepit organisationis spheram?

Cuicumque sententias et opiniones de superfoetatione ab auctoribus prolatas perpendenti expe-

ditissimum erit cognoscere ex rationibus tantum theoreticis de hac re judicium ferri non posse; siquidem celeberrimorum virorum sententiae discrepant, licet ingeniosis satisque validis defendantur rationibus. Necesse igitur est experientiam consulere, quae litem componat.

Praecipua, quibus innituntur momenta superfoetationis defensores et patroni, sequentibus comprehendam.

Et primum quidem ex analogia deducitur argumentum, quo superfoetationem in animalibus usuvenire probatur. Exempla enim hujus rei habentur apud Zacchiam, Diemerbroeck, Welschium, aliosque, quamquam a nonnullis acriter oppugnata, et praesertim ab egregio Roose, qui hanc analogiam non admittit, quum animalia, quae ad rem probandam allegantur, utero gaudeant duplici. Sed observationes referuntur animalium etiam cum utero simplici superfoetatorum ut constat de equa, quae hinnulum et mulum peperit.

Praeterea feminas mortuum aut ossificatum foetum in utero gerentes fuisse superfoetatas multis probatur exemplis. Casum legimus apud Albucasim, alium in Teichmagero, aliumque apud Schenkium. Hallerus certissimum est, inquit, et innumerabilibus exemplis confirmatum, et animalia et feminas concepisse et peperisse, dum conceptum priorem mortuum, etiam lapideum

in utero mater retinebat. Neque quae, Roose objicit, hujus argumenti vim infirmant, quod nempe emortuo foetu cesset omnino graviditas, cessante vero graviditate non datur superfoetatio. Etenim feminae uterus mortuum foetum gerens, morboso in statu degit, idque si foetus alter teste Hallero aliisque, novo accedente coitu concipitur, facilius concipiatur fas esse, ubi nil morbosi adest in utero.

Sed foetus inaequales vel simul, vel paucorum dierum intervallo fuisse natos, passim apud auctores prostant observationes. Zacchias autem et geminos aliquando variare in tempore nascendi asserit, ut unus post octo, aut decem dies, vel adhuc serius nascatur: quo in casu caveat medicus aut chirurgus, ne gemellos pro superfoetatis accipiat et declaret. Hallerus hac de re sequentia habet: cum certum sit posse unum gemellorum mori, dum alter vitalis superest, posse etiam a pharmacis alterum foetum abigi, dum alter superest, et post mortuum foetum, vivum die quarta nasci, satis adparet foetum alterum in utero aut periisse, aut certo languisse oppressum a fortiori alterius incremento, aut ab aliam causam in propria fabrica nutritioni adversam foetus inaequales reddi, etsi simul concepti sint. Extendit vero Hallerus tempus intermedium a 1-17 diem.

Majoris quidem momenti atque ponderis argumentum pro superfoetatione suppeditant observationes ubi alter foetum post alterum, notabili

intercedente tempore nascebatur, uterque tamen aeque perfectus. De hac re vide Hallerum. Franeus etiam feminam commemorat, quae foetum vivum et incolumem primum, dein post quatuor septimanas alium mortuum edidit. Exemplum intervalli sex septimanarum habet Blancard, duorum mensium Aristoteles, trium mensium Nicolus, septem septimanarum Diemerbroeck, quatuor mensium Peraeda, aliique longioris etiam intervalli stupenda quidem referunt exempla. Est vero inter hasce observationes ea differentia, ut 1.° vel foetus unus vitalis, alter mortuus; 2.° vel alter perfecte maturus, immaturus alter; 3.° vel ambo vitales perfecti et bene valentes nascantur. Quando foetus unus vitalis, alter mortuus et quidem imperfectus extruditur, hujusque partus praecesserit, de superfoetatione dubium judicium ferri debere nemo est qui non percipiat; tunc enim tanquam gemelli possunt esse concepti. Omnis vero dubitatio excludenda videtur quoties prius mortuus perfectus, ac demum post unum alterumve mensem excluditur vitalis perfectus. Qui enim fieri potest, ut si gemelli essent, mortuus inter brevius tempus idem ceperit incrementum, quod alter post menses demum capit, utque mortuus perfectus oppressus fuerit ab altero debiliori? Quando vero foetus alter perfecte maturus, immaturus alter emittitur, sive hic praecesserit, sive sit in nascendo maturum sequutus, hoc nihil

probat; omnem vero dubitationem auferunt ambo foetus vitales perfecti, et bene valentes. Egregie hinc scripsit Hallerus: « Neque enim vero simile » est si simul concepti fuissent, posse alterum intra » sex menses idem incrementum cepisse, quod al- » ter nemo primum mense attigit, siquidem alia » morbosa signa in tardius evoluto observarentur ».

Si quis tamen ad huc de superfoetatione dubium movet, is quaeso, perlegat casus apud recentiores praesertim auctores inque ipso naturae pictore fidelissimo et accuratissimo Buffon, ubi gravida vel simul, vel intercedente quodam temporis intervallo infantes stirpis diversae, v. g., europeum et nigritam peperit quin tamen duplex adesset uterus; sic quidem placentae erant concretae, quod fieri non posset, si uterus fuisset duplex. Observationes hujusmodi, quos legimus in operibus clarissimorum Gorn, Delmas, William, Dewees, Philadelphi, Klose, aliorumque certissimum praebent de superfoetatione argumentum. Homines enim mistos nonnisi ex commixtione hominum diversae stirpis prodire et longa constat experientia et naturae lege.

Sed jam supra monuimus quamplures fuisse, qui in duplici utero tantum superfoetationem admiserunt. De utero bicomi et duplici non est cur observationes referamus, quum nullus ferme sit in anatomicis vel leviter versatus, qui hoc naturae phoenomenon propris non inspexerit oculis, quique classica plane ignoret opera Halleri, Mor-

gagnii, Riolani, Malacarnii aliorumque et recentiorum et veterum medicae rei scriptorum.

Triplici autem modo naturam praecipue ludere circa uteri formationem habemus ex autopsiis. Vel enim unus adest uterus cum simplici orificio et vagina, cavitas vero uteri sepimento quodam bipartitur (uterus bifidus); vel corpus uteri in duas separatas partes est divisum cum simplici tamen orificio et vagina (uterus bicornis); vel duo adsunt uteri cum separatis orificiis et vaginis (uterus duplex). Utcumque tamen res sit in hisce tribus formationum anomaliis superfoetationem posse fieri quisque jam statim concipit.

Verum si ex allatis de superfoetationis possibilitate nullus subest dubitandi locus, non item dicendum de tempore, in quo superfoetatio potest contingere. Plerique terminum intra 40 dies assumunt, licet nonnulli quocumque tempore fieri autument. Jam quid de hac re sentiat Hallerus, supra vidimus. Quemadmodum vero allatae a scriptoribus observationes inter se admodum variant, ut a primo conceptionis tempore ad mensem usque septimum, octavum et ultra extendatur tempus ad superfoetationem opportunius, ita terminum superfoetationis certo definiri non posse luculentissime patet. Hoc tamen concludi posse videtur, superfoetationem primis a primo concepta diebus aut septimanis saepius et facilius contingere; usque ad finem quarti imo justa Bartholinum ultra

finem sexti mensis esse demonstratam; ultra vero hoc tempus minus verosimilem, siquidem nonnisi una vetustissima esse Hippocrate constat observatio.

Portentosae narrationes, quas apud Albertum, Guicciardum Paroeum, aliosque videre est, mulierum quae uno partu centum et ultra, quinimo ut refert Paroeus 365 enixae sunt partim pueros partim puellas, novae quaestioni ansam praestiterunt, nunc femina jam superfoetata denuo sub graviditate coiens, concipere possit, ut adeo tres foetus diversae aetatis in utero contineantur. Nil dicam de fabulosis illis historiis, moneoque tantum in femina saltem humana quae raro trimellos concipit, et rarissime superfoetat semel, iteratae superfoetationis exempla nec dum haberi.

Accersitus interim a judice medicus, ut de superfoetatione judicium ferre possit, quod neque mulieris famam, neque infantium jura loedat, pede incedat cautissimo oportet, primumque observet utrum superfoetatio certa vel ambigua sit. Ad incertas referri jam ex dictis patet eas, in quibus aut prius infans unus nascitur, et post aliquod insigne temporis spatium alter puellus excluditur, aut unus infans perfecte nascitur, et alter exilis admodum et imperfectus: dubium enim est an gemini illi foetus uno eodemque tempore, aut diverso sint concepti.

Si vero mulier jam gravida iterum viro comprimatur concipiat et foecundetur, hoc peculiare

et summopere attendendum habet: 1.° nempe post primos ab infantulo primum concepto motus versus dimidium circiter graviditatis naturalis tempus excitatos novos revera motus infantiles in utero percipit; 2.° filiolum maturum perfectumque jam enixa et puerperio absoluto, post mensem et ultra a primo partu alium emittit, et quidem maturum atque perfectum, novo superveniente puerperio. Hinc Teichmayer ad superfoetationem omnibus numeris confirmandam tria haec requiri scripserat: 1.° nova gravidae mulieris probata conceptio; 2.° ut tempus notabile inter utriusque partus intercedat; 3.° ut foetus unus et alter perfactus sit et ad maturitatem perductus. Si haec omnia simul conveniant de superfoetatione vera judicium proferre datum quidem est medico: ad legitimitatem superfoetati infantuli sanciendam exacto calculo subjiciat oportet tempus, in quo eumdem conceptum fuisse censeri aliqua veri similitudine potest. « Ecco per tanto » (sunt verba clarissimi rei medicae scriptoris) » i segni sicuri su il fondamento dei quali si può » senza pericolo di errare, stabilire il giudizio » di una certa superfetazione. Niun conto all'op» posto far si deve di alcuni altri indizj poco si» curi: come per esempio della disuguaglianza » dei parti nati ad un tempo, perchè molte ca» gioni possono ritardare l'accrescimento di uno » dei gemelli; del ritrovarsi i due feti in due se-

» condine separate, perchè rade volte accade che i
» gemelli trovinsi chiusi in una sola secondina;
» e di qualch'altra simile circostanza che non può
» servire di segno sicuro e convincente. Tosto
» che dunque una donna resti vedova incinta, e
» dopo aver dato alla luce, al termine naturale,
» un feto maturo, in notabile distanza di tempo
» ne partorisca un altro egualmente perfetto, vuol
» ragione che si creda, che il secondo parto sia
» superfetato; che calcolando le distanze del tem-
» po non appartenga al defunto marito, e che in
» conseguenza debba credersi illegittimo (1). »

Caveat ergo ne superfoetatos eos daclaret, qui et minoris sunt magnitudinis, minorisque ponderis, et minus perfectam praeseferunt evolutionem atque structuram, si cum iis comparentur, qui jam alias parturiebantur, vel cum illo, qui simul in utero continebatur; plura enim sunt, quae alterius gemellorum incrementum impediunt ac retardant.

Fateamur interim generationis arcana obscura adhuc, et oculis nostris abscondita esse, tenebrisque densissimis involuta, egregie hinc Hallerus de generatione discussurus ajebat: « difficillimum aggredior laborem, et exitum vix promito, qui lectori satisfaciat. Primordia enim hominis ipsa natura nobis velat. »

(1) Tortosa Oper. citat. pag. 157.

THESES

I.

Si os uteri revera in gravidis perfecte clauderetur, de superfoetatione ne suspiciendum quidem esset, sed cum revera os uteri in gravida non claudatur, ergo superfoetatio possibilis.

II.

In morbis praesertim febrilibus prima Medicina est diaeta.

III.

Usque ad quartum mensem graviditates signa certa non dantur.

IV.

Vinum est lac senum, juvenis venenum.

V.

Studium et experientia non aetas faciunt Medicum.

VI.

In specie humana verus androgynus non datur.

VII.

Nil Medicinae perfectioni obest, quam pertinaciter unum sequi systema.

VIII.

Remedia Lithontriptica proprie dicta non adsunt.

IX.

Venena pro dosi sunt medicamina, medicamina pro dosi sunt venena.

X.

Vita morbus mors generat venenum, miasma contagium.

XI.

Multi morbi non possunt simulari.

XII.

Quicumque nil certi in Medicina reperit, bona quidem conscientia illam exercere nequit.